

excitari ad bene operandum, vel ad cavendum malum, qui omnes a Deo sunt, non tamen pariter, sed secundum eandem rationem. Prima excitatio est mere naturalis, id est, per communem cursum naturalis providentiæ divinæ, et causarum secundarum, quam esse posse et congruam et incongruam, et neutro modo pertinere ad beneficia gratiæ, sed naturæ, majora, vel minora, in libro primo ostensum est. Secundus ordo excitationis est, quæ dantur a Deo ex peculiari providentia et liberalitate, in majori perfectione vel abundantia quam per communem cursum causarum secundarum fieri possint, in se tamen naturales sunt, et circa objecta solum naturalia versantur. Et hujusmodi excitationes revera sunt gratia, non tamen attingunt intrinsece (ut ita dicam) ordinem supernaturalem, et dari possent solum ad juvandam naturam in ordine ad honestatem et finem naturalem, licet de facto semper a Deo ad supernaturalem finem ordinentur. In tertio ordine sunt excitationes, quæ immediate pertinent ad ordinem gratiæ et providentiæ supernaturalis; et hæc in duplici differentia esse possunt. Nam quædam sunt motus in sua substantia naturales, quia mediis sensibus in mente naturali virtute excitantur, et nihilominus immediate et quasi intrinsece pertinent ad ordinem gratiæ, ratione materiæ in qua versantur, et quia ex peculiari et supernaturali providentia tribuuntur, et præparantur causæ a quibus proveniunt. Aliæ sunt in substantia sua naturales, et a Spiritu Sancto immediate mentibus infunduntur tanquam auxilia proxima et proportionata actibus humanis per se infusus, et in se supernaturalibus, quæ omnia membra ex doctrina hujus et præcedentis capituli declarata manent; visum est autem sub compendio illa hic proponere, quia et ad omnia superius dicta de necessitate gratiæ, et ad distinguendum Semipelagianum errorem a Catholica doctrina magnam lucem afferre possunt; et quia in libro sequenti, ad explicandam sufficientiam gratiæ, illorum cognitio erit nobis necessaria.

CAPUT XIII.

UTRUM PRÆTER EXCITANTEM GRATIAM SIT NECESSARIA GRATIA ADJUVANS AB ILLA DISTINCTA.

1. *Assertio prima.* — *Necessaria est gratia adjuvans ad operandum sicut oportet ad salutem.* — Hactenus de excitante gratia dictum est; nunc, ad complendam divisionem gratiæ

in excitantem et adjuvantem, oportet ipsam adjuvantem explicare. Et imprimis supponimus, ad bene operandum sicut oportet ad salutem, necessariam esse gratiam adjuvantem. Primo, quia ex Scriptura sacra id aperte colligitur, nam in illa sæpe Deus vocatur adjutor noster; Psal. 62: *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.* Unde Augustinus: *Nisi Deus adjuvet, opera nostra impleri a nobis non possunt; et digna debemus operari,* quasi dicat, ut opera nostra digna sint, necessarium esse Dei adjutorium. Unde etiam est illud Psal. 53: *Ecce enim Deus adjuvat me;* ubi Augustinus: *Omnes Sancti adjuvantur a Deo, sed intus, ubi nemo videt.* Item Psal. 18: *Domine, adjutor meus et Redemptor meus.* Ubi autem Augustinus: *Adjutor in bonis, et Redemptor in malis: adjutor ut habitem in charitate sua, redemptor ab iniquitatibus meis.* Et pleraque sunt Scripturæ loca, in quibus vel Deus vocatur adjutor noster, vel nos ab illo petimus ut nos adjuvet, vel confitemur sine ipsius adjutorio non posse salvari; adjuvat nos autem Deus per gratiam adjuvantem. Secundo, nihil frequentius est in ore omnium fidelium, nihilque sæpius repetit Ecclesia in suis publicis orationibus, quam illud: *Deus, in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina,* quod ex Psal. 69 sumptum est. Item repetit illud: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum et terram,* ex Psal. 123. Item Concilium Milevitanum et Arausicanum definiunt gratiam esse necessariam in adjutorium nostrum. Distinctius vero Concilium Trident., sess. 6, cap. 5, et can. 3, necessitatem gratiæ excitantis et adjuvantis definivit. Tertio, hæc est doctrina Augustini, qui pro hac gratia adjuvante maxime contra Pelagium pugnavit, præsertim lib. de Gratia Christi, cap. 23 et sequentibus, et lib. 2 contra duas Epistol. Pelagian., cap. 9, et epist. 103, 106 et 107, et aliis locis, quæ in sequentibus allegabimus. Rationem autem seu necessitatem hujus gratiæ, nisi prius quid illa sit, et ad quid detur, intelligatur, explicare non possumus.

2. *Difficultas circa distinctionem gratiæ adjuvantis ab excitante.* — *Suadetur identitas gratiæ adjuvantis cum excitante.* — Prius vero oportet vocis ambiguitatem tollere: ideoque inquiri potest an gratia adjuvans sit aliquid diversum ab excitante. Ratio dubitandi est, quia gratia excitans nos adjuvat; ergo est gratia adjuvans; ergo illæ gratiæ nullo modo distinguuntur. Antecedens patet, quia excitans gra-

tia est quasi doctrina interna, vel admonitio divina, vel inclinatio aut propensio ad aliquid. Magister autem docens adjuvat discipulum; ergo multo magis Deus interius docet et adjuvat hominem. Unde et prædicatores Evangelii, adjutores Dei dicuntur, 1 Cor. 3, quia Deum in docendis et instruendis hominibus juvant. Item qui alium monet, juvat illum, juxta illud Psal. 2: *Adjuvantes exhortamur,* etc. Denique propensio et inclinatio sine dubio multum juvat in quocunque opere; ergo gratia excitans omnibus his modis nos adjuvat: est ergo gratia adjuvans. Atque hoc confirmat modus loquendi Conciliorum; nam Milevitanum, cum cap. 3 definit gratiam Dei, qua justificamur, non solum ad remissionem peccatorum dari, sed etiam in adjutorium ut non committantur, nomine adjutorii, excitantem gratiam præsertim intelligit. Unde cap. 4 declarat hanc gratiam non tantum nos adjuvare, revelando quæ faciendæ sunt, sed præstando ut, quod *faciendum noverimus, etiam facere diligamus atque valeamus.* Ergo illa gratia quæ dat nobis posse facere, et quæ facit nos facere, ipsa est quæ nos adjuvat. Illa autem est vocatio divina, quæ est gratia excitans; ergo hæc eadem est gratia adjuvans. Item Concilium Tridentinum, sessione 6, cap. 5, de excitante et adjuvante gratia, tanquam de una sic loquitur: *Vocantur ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando, disponantur.* Ubi ponderandum est illud verbum, *eidem gratiæ*; refert enim gratiam excitantem et adjuvantem, de qua sermo præcesserat, refert illam tanquam unam, nam si essent plures, dicendum fuisset *eidem gratiis.*

3. *Auctoritas Augustini.* — Præterea divus Augustinus, libr. de Gratia Christi, cap. 4, post multa contra Pelagium disputata ad vitandas tergiversationes ejus, ita concludit: *Si consenserit, ita ipsam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, et sic adjuvari ut sine illo adjutorio nihil libere velimus et agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, nihil de adjutorio Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquatur.* In quibus verbis considero Augustinum a Pelagio confessionem unius gratiæ adjuvantis postulare, cum tamen Pelagius non minus erraverit negando gratiam excitantem quam adjuvantem, ut patet ex eodem Augustino in eodem libro, cap. 10 et sequentibus. Item, lib. 2 de Peccator. merit. et remiss.,

cap. 17, cum Augustinus in principio dixisset posse hominem in hac vita esse sine peccato, gratia adjuvante divina, postea explicando hanc gratiam dixit: *Ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.* Illa autem gratia qua innotescit quod latebat, et suave fit quod non delectabat, non est nisi illuminatio et inspiratio divina, seu sancta cogitatio et pia affectio, ut ipse in discursu explicat. Utraque est gratia excitans; ergo hæc eadem est apud Augustinum gratia adjuvans. Et simili modo, in cap. 19, illam gratiam vocat certam scientiam, vel victricem delectationem, quam inquit *interdum non dari Sanctis, ut cognoscant non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem qua illuminentur tenebræ eorum, et suavitatem qua det fructum suum terra eorum;* quæ duo Deus in nobis sine nobis operatur; ideo ad gratiam excitantem pertinent; et nihilominus subjungit: *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat.* Denique, libro de Gratia et libero arbitrio, cap. 15, tractans verba Ezechiel. 11: *Dabo vobis cor carneum,* et illa e. 18: *Facite nobis cor novum,* interrogat: *Quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat ut faciat cui jubet?* Et tamen aliis locis similes Dei locutiones: *Dabo vobis, faciam ut faciatis,* etc., explicat de vocatione, seu, quod idem est, de gratia excitante, per quam Deus illa facit in nobis; ergo illa eadem gratia est, qua Deus nos adjuvat ut faciamus.

4. *Assertio secunda.* — *Gratia adjuvans proprie sumpta, distincta aliquo modo est ab excitante.* — *Declaratur ex notatione nominis.* — Nihilominus negari non potest quin gratia adjuvans proprie sumpta, sit speciale auxilium gratiæ, ab excitante aliquo modo distinctum. Itaque, sicut Dialectici dicunt omne genericum seu commune interdum uni speciei appropriari, ita in præsentibus de nomine adjutorii vel adjuvantis gratiæ dicere necesse est, tum ad intelligenda varia loca Augustini, tum ad singula gratiæ auxilia in specie declaranda. Nam quæ adduximus ostendunt nomen adjutorii divini, vel, quod perinde est, adjuvantis gratiæ, interdum generaliter sumi pro quocunque gratiæ auxilio. Et certum ipsum nomen auxilii, hanc eandem significationem postulat. Quid est enim adjuvare, nisi auxilium præstare? Auxilium autem nomen generale est ad omnia gratiæ auxilia; ergo et verbum adju-

vandi potest in eadem generalitate sumi; ergo et verbum adjutorii, seu gratiæ adjuvantis. Imo et Deus ipse dici potest adjutor noster, etiam ratione auxilii excitantis, quod nobis infundit, et in testimoniis allegatis et in multis aliis Scripturæ locis, præsertim Psalmorum, oratur Deus ut nos adjuvet illuminando, cor inclinando, et alia similia, quæ ad excitantem gratiam pertinent, faciendo. Non obstante vero hac significatione, dicimus nomen gratiæ adjuvantis peculiariter tributum esse euidam speciali beneficio et auxilio gratiæ, ab excitante aliquo modo distincto, et in hoc sensu dividi gratiam in excitantem et adjuvantem.

5. *Probatur primo ex doctrina Augustini.*— *Diversa munera tribuit Augustinus gratiæ excitanti et adjuvanti.*— Hoc probamus, primo, ex doctrina Augustini, a quo fere omnes istæ voces sumptæ sunt. Ille enim gratiam adjuvantem plane distinguit ab excitante, in Enchirid., cap. 32, cum inquit: *Totum Deo datur, qui hominis voluntatem bonam præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam.* Nam sine dubio aliud est præparare, aliud adjuvare voluntatem, et primum tribuit Augustinus gratiæ excitanti, et ideo dicit scriptum esse: *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis, quia præparatur voluntas a Domino,* utique solo, et sine homine, quod spectat ad excitantem gratiam, quam Deus facit in nobis sine nobis, ut supra dictum est. Ergo adjuvare præparatam voluntatem, est novum Dei beneficium, et distinctum auxilium, quod gratia adjuvans vocatur. Unde idem Augustinus, quæstione 2 ad Simplician., sic inquit: *Non ideo dictum esse putandum: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia sine ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius quia sine ejus vocatione non volumus:* et lib. 2 de Peccat. merit., cap. 18: *Quod ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante, non possumus.* In quo modo loquendi aperte indicat adjuvantem gratiam aliquid addere supra excitantem. Præterea hoc constat ex diversis muneribus quæ Augustinus tribuit gratiæ excitanti et adjuvanti, nam primæ tribuit tangere cor, sanctam cogitationem immittere, et similia, quæ Deus in nobis sine nobis operatur, ut in superioribus satis explicatum et allegatum est. At vero gratiæ adjuvanti tribuit simul cum homine operari, sicut dicit lib. 2 contra duas epistol. Pelagian., cap. 9: *Quamvis, nisi adjuvante illo sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen nos aperimus il-*

lius adjumento, et opere nostro. Unde in 2 lib. de Peccat. merit. et remiss., cap. 5, dicit: *Neque adjuvari potest, nisi qui aliquid sponte conatur.* Et rationem reddit, quia Deus non ita movet hominem, sicut movet lapidem vel brutum, in quibus voluntatem et rationem non condidit, significans gratiam adjuvantem non dari nisi in ipsa et cum ipsa operatione, quod evidentius expressit in id Psalm.: *Adjuva nos, Deus, salutaris noster,* dicens: *Cum adjuvare nos vult, neque ingratus est gratiæ, aut tollit liberum arbitrium; qui enim adjuvatur, etiam per seipsum aliquid agit.* Et tract. 4 in 1 Epist. Joan.: *Quando (inquit) juvaris, si nihil agis? Et serm. 13 de Verbis Apost., c. 11: Agis (inquit) et ageris, et tu bene agis, si bono agaris; Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor est; ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia tu ipse aliquid agis. Agnosce quid possas, agnosce quid constearis, quando dicitis: Adjutor meus esto; adjutorem utique invocas Deum; nemo adjuvatur si ab illo nihil agatur, etc.*

6. *Consecrarium ex dictis.*— *Adjuvans gratia non datur nisi ei qui libere agit, unde superadditur excitanti.*— Ex his ergo omnibus colligitur adjuvantem gratiam non dari nisi ei qui libere agit, credendo, vel pœnitentiam agendo, vel alio modo pie operando: gratia autem excitans datur ante liberam operationem, ut in superioribus satis ostensum est; ergo aliquam gratiam addit adjuvans supra excitantem, ab illa distinctam. Deinde hoc satis indicat Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 5. Primum, quatenus distincte requirit excitantem atque adjuvantem gratiam; non enim toties illa duo repeteret cap. 5, et can. 3, si illa duo essent synonyma, et non aliquo modo distincta. Secundo, quia dicit hominem disponi assentiendo et cooperando illi gratiæ, quæ duo verba cum partitione accommodata accipienda sunt; nam assentiri correspondet gratiæ excitanti, cooperari vero adjuvanti. Unde paulo inferius dicit Concilium, tangente Deo cor hominis, ipsum hominem non omnino nihil agere inspirationem illam recipiens, utique per liberum consensum, sicut illam abjicere fit per dissensum. Quomodo etiam dixit Augustinus vocare esse solius gratiæ; assentire autem vel dissentire proprie voluntatis esse. Est tamen discrimen, quia dissentire potest homo sua sola libertate, assentire autem non potest sine adjutorio Dei. Et ideo, ut assentiatur gratiæ excitanti, necesse est ut cooperetur adjuvanti: sunt ergo illæ duæ gratiæ distinctæ. Et præterea Concilium, quoties de

actibus, quibus homo disponitur ad justitiam, loquitur, utramque gratiam conjungit, ut patet in c. 5, et in principio sexti: *Disponuntur tamen ad ipsam justitiam, dum excitati et adjuvi divina gratia, etc.,* et Can. 3: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritu Sancti inspiratione, et ejus adjutorio, etc.*

7. *Ratio assertionis secundæ deprompta ex Augustino.*— Ratione sumpta ex prædicta doctrina Augustini potest hoc declarari, quia gratia excitans datur homini antequam libere operetur; sed adjuvans non datur nisi ei qui libere operatur, vel consentit; ergo necesse est gratiam adjuvantem aliquid addere excitanti, in quo ab illa distinguatur. Major in superioribus satis declarata et probata est; convincitur ex Concilio Tridentino, can. 4, dicente hominem jam excitatum posse dissentire. Minor autem patet ex dictis sententiis Augustini, et ex verbis Concilii quæ ponderavimus: nam semper conjungit adjuvantem gratiam consensui, et e contrario negat consensum esse posse sine adjuvante gratia. Ex proprietate autem ipsius verbi adjuvandi, optime potest declarari: nam adjuvare est aliquid cum aliquo agere, et ideo nemo actu adjuvat, nisi et ipse, et is qui adjuvatur, aliquid agant; ergo in operibus gratiæ non datur homini adjuvans gratia, nisi quando libero et humano modo aliquid operatur, nam ad hujusmodi operationem hæc gratia datur; at vero gratia excitans datur per operationem non liberam, sed necessariam, ut supra visum est, et ideo operationem liberam præcedere potest. Declaratur tandem a simili, nam gratia creans non datur nisi quando Deus actu creat; ergo neque gratia adjuvans, nisi quando Deus actu adjuvat. Unde eo etiam modo quo intra ordinem gratiæ creatricis potest dari gratia adjuvans, illa non datur nisi quando Deus actu concurrat cum creatura, quia tunc illam ad agendum adjuvat; ergo idem est cum proportionem in gratia pertinente ad ordinem gratiæ sanctificantis, quatenus in illo gratia adjuvans invenitur; ex quo etiam fit ut, sicut Deus ab æterno non est Creator, vel conservator, sed in tempore, ita neque sit adjutor nisi in tempore, et non semper, sed quando actu adjuvat. Denominatur autem adjutor ab adjuvante gratia, non ab excitante, proprie loquendo. Ex his ergo satis constat has gratias esse distinctas aliquo modo: hæc autem distinctio, et plures etiam differentiæ inter ipsas in duobus capitibus sequentibus commodius explicabuntur, simul declarando quid hæc adjuvans gratia sit.

CAPUT XIV.

AN GRATIA ADJUVANS SIT ACTIO VEL PRINCIPIUM ACTIONIS, ET QUÆ SIT EJUS NECESSITAS.

1. *Necessitas gratiæ adjuvantis ex duplici radice eruitur.*— *Prima radix, dependentia essentialis creatæ voluntatis a causa prima in ordine naturæ et gratiæ.*— Cum ostensum sit dari nobis adjuvantem gratiam, præter excitantem, ut Concilia tradunt, hanc etiam gratiam esse nobis necessariam ad sancte operandum, sicut oportet ad salutem, explicare necesse est quid et quotuplex sit hæc gratia: ad hoc autem declarandum, causam et radicem hujus necessitatis aperire necessarium est, nam inde constabit ad quem finem ipsa ordinetur, et ex fine ratio et varietas ejus facile intelligetur. Necessitas igitur hujus gratiæ ex duplici capite oriri potest. Primo, ex dependentia essentiali quam voluntas creata, ut est quædam causa secunda, habet, in operando, a Deo, ut est prima et universalis causa in omni ordine, tam naturæ quam gratiæ. Quod enim omnis creatura non solum pendeat a Deo in fieri et in conservari, sed etiam in operari, tanquam in nostra fide certum supponimus, ex prima parte, et ex metaphysicis disputationibus: consistit autem hæc dependentia operationis, in hoc quod nihil potest creatura facere sine actuali ope et influxu Dei. Hæc igitur dependentia etiam in operibus gratiæ invenitur, cum etiam sint inter creata. Et quamvis talis influxus seu concursus Dei in actionibus naturalibus non habeat propriam rationem gratiæ de qua tractamus, quia est debitus naturæ, ut libro 4 diximus, nihilominus concursus universalis Dei ad opera supernaturalia inter propria dona gratiæ sanctificantis numerandus est, quia absolute non est debitus naturæ, et quamvis possit esse debitus ratione prioris gratiæ, eo ipso est gratia pro gratia. Et de hoc genere gratiæ dicam in ultima parte hujus libri, explicatis prius cæteris nominibus seu divisionibus gratiæ, quia et supponit illas, et longiorem magis quam controversam disputationem postulat.

2. *Secunda radix, infirmitas liberi arbitrii ad vitandum errorem et malitiam, et ad operandum sicut oportet.*— Secunda radix hujus necessitatis est defectus virium, et infirmitas liberi arbitrii, ad vitandum errorem et malitiam, et ad operandum bonum virtutis sicut oportet. Unde sicut homo debilis et infirmus

non potest recte ambulare, nisi ab aliquo juvetur, ita neque liberum arbitrium, nisi adjuvetur a Deo. Et sicut non satis juvatur infirmus, exhortando et monendo illum ut surgat, sed oportet manum admovere, et simul cum illo operari, et illum sustinere vel sublevare; ita non satis est liberum arbitrium ad hæc opera gratiæ excitare, sed illud actu juvare, cum illo operando, aut virtutem operandi addendo, necesse est. Et hoc pertinet ad solum Deum, qui hoc nobis præstat per adjuvantem gratiam. Est autem considerandum hanc indigentiam liberi arbitrii esse diversam ab illa quæ respectu primæ causæ communis est omni virtuti creatæ, etiamsi in suo genere causæ secundæ completa sit: nam ultra indigentiam hanc habet nostrum liberum arbitrium defectum virtutis ad bene agendum, etiam in proprio ordine causæ proximæ ad hujusmodi actus virtutis efficiendos, et ideo indiget speciali gratiâ adjuvante, distincta a præcedente, quæ illum defectum virium adjuvando suppleat. Quod autem in libero arbitrio sit hic defectus virium partim ob lapsum peccati originalis, partim ob excellentiam supernaturalium actuum, in lib. 1 et 2 late ostensum est, ubi quæ generatim ibi diximus de necessitate gratiæ, etiam de hac adjuvante procedunt. Et de eadem recte intelliguntur verba Pauli ad Rom. 8: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, in quibus hanc radicem hujus necessitatis attingit, et propterea etiam dixit ad Philip. 2: *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere*; et cap. 1: *Qui cepit in nobis opus bonum* (utique per excitantem gratiam) *perficiet*, scilicet per adjuvantem.

3. *Consectarium primum ex hac duplici necessitate.* — Ex hac ergo duplici necessitate prima distinctio adjuvantis gratiæ colligitur. Una est per modum concursus, alia per modum specialis cooperationis in ratione proximæ causæ principalis talis effectus. Et ut sine æquivocatione loquamur, priorem non auxilii vel adjuvantis gratiæ nomine, sed simpliciter nomine concursus gratiæ significabimus. Aliud vero speciale adiutorium, quod Deus etiam ut causa proxima ad actus supernaturales præbet, simpliciter nomine adjuvantis gratiæ significabimus, quia revera de hoc adiutorio præcipue loquuntur Augustinus et alii Patres, quando gratiam adjuvantem requirunt; tum quia hoc præcipue Pelagius negabat, ut in ultimo Prolegomeno diximus; tum etiam quia specialius adiutorium postulant Patres in operibus gratiæ quam in operibus

naturæ, et alium defectum virium ad opera gratiæ quam ad opera naturæ in libero arbitrio recognoscunt et docent. Igitur propria gratiâ adjuvans vocatur illa qua, in ratione causæ proximæ, creata voluntas ad opera pietatis indiget.

4. *Consectarium secundum.* — Secundo, colligitur ex dictis hoc gratiæ adiutorium proxime consistere in aliquo Dei influxu in ipsos actus liberos et supernaturales voluntatis, quod quidem commune est tam concursui gratiæ quam propriæ gratiæ adjuvanti. Nam concursus actu non datur a Deo, nisi quando causa secunda actu operatur; quando vero ipsa non agit, conservatur quidem a Deo, non tamen potest tum Deus cum illa agere, et consequenter neque concurrere; ergo concursus non est nisi dum causa secunda agit: consistit ergo proxime et ultimate (ut ita dicam) in actuali motione, vel actione sive prævia, sive simultanea ordine naturæ, cum actione causæ secundæ, quod postea videbimus. Nam in fine capituli præcedentis probatum est, ex Augustino et ratione, neminem juvari nisi qui agit. Ex quo recte infertur hoc auxilium gratiæ adjuvantis proxime consistere et consummari in actuali influxu, et actione Dei cum homine supernaturaliter operante. Nam eo ipso quod homo desinit operari, etiam Deus desinit adjuvare; ergo sicut operatio hominis in actuali influxu ex parte sua consistit, ita adjuvans gratiâ in actuali influxu ex parte Dei posita est. Deinde sicut in his actibus dum homo operatur dicitur cooperari Deo, ita cum Deus illum adjuvat, dicitur cooperari homini, ut infra videbimus, et ex Concilio Trident., dicta sess. 6, cap. 5, aperte colligitur: cooperatio autem manifeste influxum seu actionem significat, ut infra, de gratiâ cooperante tractando, iterum explicabimus.

5. *Gratiâ adjuvans consistit proxime in actuali influxu, seu actione.* — *Dubium, utrum principium supernaturale a quo procedit hæc actio dici possit gratiâ adjuvans.* — Dixi autem gratiam adjuvantem proxime consistere in actuali influxu, quia, præter influxum, necessarium est aliquod supernaturale principium a quo actualis ille influxus promanet. Nam ille influxus non est nisi actio quædam: omnis autem actio suum immediatum et proportionatum principium requirit; ergo cum influxus adjuvantis gratiæ supernaturalis sit, requirit principium supernaturale a quo immediate fluat. Hinc ergo patet non solum actuale influxum, sed etiam principium a quo procedit, posse gratiam adjuvantem appellari,

quia vere adjuvat intellectum aut voluntatem, nam supplet defectum virtutis ejus ad supernaturalem actum efficiendum: supplet autem simul cum potentia efficiendo actum, quæ ipsa sola efficere non potest: hoc autem est juvare, sicque lumen gloriæ juvat intellectum ad videndum Deum, et charitas ad amandum, et Deus ipse dici potest juvare causas secundas ad operandum, et in ordine gratiæ, speciali titulo, *adjutor noster* appellatur. Aliunde vero, ex supradictis, videtur colligi propriam gratiam adjuvantem in solo influxu actuali positam esse; tum quia gratiâ adjuvans non est nisi quando homo actu operatur, principium autem operandi in nobis permanet etiam dum non operamur; tum etiam quia gratiâ adjuvans in genere actualis gratiæ collocatur, et sub illo ab excitante condistinguitur. Sicut ergo excitans tantum consistit in actuali motione, ita etiam adjuvans.

6. *Resolutio.* — *Quædam dici potest gratiâ adjuvans per modum principii, alia per modum influxus seu actionis.* — Verumtamen non oportet de nominum significatione contendere, clariusque et magis sine ambiguitate procedemus secundam divisionem adjuvantis gratiæ subjungendo; quædam dici potest adjuvans per modum principii, alia per modum influxus, seu actionis. Et hæc quidem posterior jam satis explicata est, et in omni proprietate et rigore nomen adjuvantis gratiæ meretur, quia est magna gratiâ, et actu nos juvat; imo est ipsum actuale auxilium quo supernaturaliter juvamus. Unde si sermo sit de gratiâ actuali adjuvante, hæc sola est gratiâ adjuvans, et ab illa quælibet alia gratiâ adjuvans denominatur, seu adjuvare dicitur, ut probant omnia hæc dicta in hoc et in capite præcedenti. Nihilominus tamen etiam principium proximum adjuvantis auxilii potest in suo ordine vocari gratiâ adjuvans, ut probat ratio facta. Potest autem tale principium in duplici statu considerari, scilicet in actu primo vel secundo. Quando vero est in hoc posteriori statu, proprie dicitur adjuvans, sumit autem hanc denominationem ab ipso actuali adiutorio, ut dicebam: nam sicut agens hanc denominationem sumit a sua actione, et ideo non est proprie agens, nisi quando est in actu, ita illud principium est proprie adjuvans, quando est in actu secundo, ac proinde per denominationem ab ipso actuali adiutorio vocatur adjuvans. Nihilominus tamen, quia illud principium de se est gratiâ data ad juvandam potentiam etiam in

primo statu, quando est in actu primo potest dici gratiâ adjuvans, cum illa declaratione seu limitatione, *per modum principii*. Vel certe dicitur gratiâ adjuvans, nam hæc vox magis actum primum quam secundum significare videtur, id est, principium de se aptum ad juvandam potentiam, cum voluerit operari. Et ita breviter gratiâ loquemur; nam licet in præsentis libro de actuali gratiâ et auxilio præcipue tractemus, non potest satis influxus gratiæ adjuvantis sine suo principio explicari, et ideo de utroque dicendum erit.

CAPUT XV.

DIVISIO AUXILII MORALITER VEL PHYSICE ADJUVANTIS EXPOSITUR.

1. *Assertio.* — *Duobus modis juvari debet homo in operibus gratiæ, moraliter et physice.* — *Augustinus hoc adiutorium explicat ex parte objecti, seu finis.* — Considerandum ulterius est duobus modis posse hominem juvari in operibus gratiæ, moraliter scilicet et physice: nam hi duo modi causandi locum habent in operibus gratiæ, nam sunt opera moralia, et physice fiunt a nostris potentiis, ideoque utroque modo juvari possunt per gratiam, imo utrumque adiutorium est illis necessarium secundum catholicam doctrinam. Et imprimis de adiutorio morali probatur, primo, quia causalitas finis moralis est, quia ejus motio est metaphorica, et solum attrahit alluciendo et invitando, et ideo finis dicitur quasi primum principium in moralibus; imo aliæ causæ quæ morales reputantur, licet ad efficientes revocentur, ut sunt causa consulens, imperans, et similes, ideo dicuntur moraliter causare, quia finalem causam imitantur, et illam aliquo modo ad causandum juvant, illius pulchritudinem vel bonitatem magis ostendendo, vel aliis motivis ad illam alluciendo. At vero gratiâ omnibus his modis adjuvat voluntatem nostram, ut ex locutionibus Augustini et Prosperi, cum testimoniis Scripturæ, quæ illi allegant, probari facile potest. Nam ex parte objecti seu finis explicat hoc adiutorium Augustinus, tract. 26 in Joan., dicens: *Ramum viredem ostendis ovi, et trahis illum*, ut explicet hoc modo trahi voluntatem per gratiam. Unde concludit: *Veritatis revelatio ipsa est attractio, quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem.*

2. *Idem morale illi tribuit causalitatem.* — *Docet spiritum exhortari, regere.* — *Hanc causalitatem explicat per modum suavis incli-*